

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

**Prot. n. 2695/72 CG**

**N**

*Nullitatis matrimonii*

(X - Y)

**Incidentis: *De appellatione***

Die 26 aprilis 1972

In Congressu habito coram Em.mo Cardinali Praefecto, proposito recursu a patrono actoris in causa de qua supra exhibito adversus decretum a S. R. Rota die 20 decembris 1971 latum in causa de qua supra,

**decretum est:**

*Causam pertractandam esse in secunda instantia a Tribunali Appellationis V.*

+ Aurelius SABATTANI, *Secretarius*

Ioannes PIANTONI, *Notarius*

## Votum

### I. Facti species

1 Clare exponitur in voti Promotoris Iustitiae H. S. T., ideo liceat nobis solummodo puncta praecipua indicare:

2 1) Patronus partis conventae tempestive interposuit appellationem apud tribunal *a quo*, sed neglexit eius prosecutionem apud tribunal *ad quod*, ita ut ad illud recurreret 33 diebus post elapsum mensem pro appellatione prosequenda praescriptum.

3 2) Orto incidente apud Turnum rotalem, hic decreto statuit appellationem esse prosequendam.

4 3) Patronus partis actricis non appellavit contra decretum, sed, transactis fatalibus pro appellando, petit a Signatura Apostolica restitutionem in integrum, et insuper invocat interventum eiusdem H.T.S. ob violatam legem habitualiter a S.R. Rota, et propter Tribunalium conflictum.

### II. In iure

#### 5 *De prosecutione appellationis*

1) Norma de prosecutione appellationis intra menses est perentoria (can. 1883, coll. cum 1886), neque ab ea datur exceptio nisi ex concessione iudicis *a quo* (can. 1883).

6 2) Art. 216, §§ 1-2, instructionis P.M. (ut ostendimus recenter in voto dato in una Romana, die 3 aprilis 1972, nn. 20-21), supponit art. 215, in quo fatalium observantia praescribitur.

## SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

7 Vi § 3 Defensor Vinculi posset (si tempestive appellationem apud tribunal *a quo* interporuit), illam ad S.R.Rotam transferre sub unica conditione quod citationes intimatae non fuerint.

8 3) Contra haec clara iuris praescripta nec invocari potest dignitas tribunalis ad quod illegitime appellatur, nec sustinetur praxis rotalis contraria. De cetero praxi rotali adversatur probatorum auctorum fere unanimis doctrina.

9 4) Can. 1736 non respicit prosecutionem appellationis sed peremptionem instantiae, quae supponit instantiam incoptam fuisse, atque in casu appellationis ad hoc requiritur ut appellatio rite prosecuta fuerit.

### 10 2. *De tribunalium conflictu*

11 1) Consistit in eo quod unum tribunal se agnoscat competens in aliqua causa et simul aliud tribunal in eadem causa illius competentiam neget et propriam asserat.

12 2) Si adest conflictus, illegitime solvitur ab uno ex tribunalis confligentibus, tum quia est pars in causa, tum quia est pars in causa, tum quia solutio spectat exclusive ad tribunalia indicata in can. 1612, si confligunt tribunalia inferiora, aut ad Signaturam Apostolicam, si unum ex confligentibus est S.R.Rota. Processus evolvitur apud Signaturam iuxta Normas, art. 68-73.

### 13 3. *De restituione in integrum*

1) *Conditiones.* Ut restitutio in integrum contra sententiam peti et concedi possit, can. 1905 haec tria requisita seu conditiones exigit: a) quod sententia in rem iudicatam transierit, ideoque per appellationem impugnari non possit; b) quod evidenter constet de sententiae iniustitia, et quidem adducto uno ex quattuor motivis recensis in can. 1905, § 2, quorum tria prima sunt motiva *facti*, quartum autem *iuris*; c) quod restitutio in integrum petatur intra quadriennium a die publicationis sententiae, si persona per sententiam gravata est maior et restitutio petatur propter motivum iuris (cf. F. ROBERTI, *De processibus*, vol. 2, ed. 1926, n. 528).

### 14 2) *Restitutio in integrum et Signatura Apostolica.*

a) Attento can. 1603, § 1, 4° (cf. *Normas*, art. 17, § 2, 2°), restitutio in integrum a Signatura Apostolica peti potest solummodo contra sententiam rotalem, quae in rem iudicatam transierit.

15 b) Processus evolvitur iuxta *Normas*, art. 23- 59.

16 c) Magni momenti est art. 58, § 3: “concessa restitutione, nisi Summus Pontifex aliter providerit, causa remittitur ad S.R.Rotam ut, iuxta suas normas, de merito iudicet (can. 1604, § 3)”.

17 Itaque *quaestio ponitur* an Signatura possit, absque commissione pontificia, iudicare etiam de merito, si ille, qui restitutionem in integrum postulavit, simul etiam recursum fecerit vi can. 1699 (saltem implicite) contra violationem legis a Rota commissam et etiam ad obtinendam conflictus tribunalium solutionem.

18 Censemus respondendum esse *affirmative*, quia omnia in idem recidunt, sed dummodo procedura pro restitutione in integrum, a *Normis* praescripta, observata fuerit. Sed quoniam recurrens in casu tria petit, quorum primum (restitutio) longiore proceduram habet - quae de facto non est secuta - et tamen Signatura de merito iudicare non potest; duo autem alia petita (sc., recursus ob legis violationem et ob tribunalium conflictum) processum habeant breviorem et in eis Signatura etiam de merito iudicare potest, sequitur melius esse in casu ut Signatura, relictam restitutione - quippe superflua et solutionem retardante - quaestionem de merito solvat respondendo duabus aliis quaesitis seu recursibus.

### **III. In facto**

19 1. *Ex attenta facti specie consideratione sequitur:*

20 1) Appellationem desertam fuisse a parte conventa, quippe quae illam non prosecuta est intra mensem (cf. supra, nn. 5-6). Defensor vinculi tribunalis primae instantiae potuisset quidem non adhaerere appellationi desertae, ut dicitur in aliquo positionis scripto, sed propriam appellationem transferre ad S.R.R. vi art. 216, § 3, instructionis P.M.; sed, interrogatus, ob graves rationes negative respondit.

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

21 2) S.R.Rotam provocasse conflictum competentiae, et hac de causa illegitime tulisse decretum ad illum solvendum (cf. supra n. 12), et insuper suo decreto evidenter violasse can. 1883 et 1886. Nec decreto iuvat invocata praxis rotalis aut can. 1736 (cf. supra, nn. 8-9).

22 3) *Signaturae competentia in casu attingitur triplici recursu* a recurrente proposito. Primus recursus est petitio restitutionis in integrum, alii duo sunt invocationes ministerii Signaturae ut declaret violatum fuisse praescriptum can. 1883 et 1886, et ut conflictum competentiae solvat.

**IV Conclusio**

23 1. Ex supra expositis in iure et in facto censemus sic respondendum esse ad tres recurrentis petitiones:

Ad primam: Conceditur restitutio in integrum ad appellandum contra decretum rotale ob evidenter neglecta praescripta can. 1883 et 1886 in eodem decreto.

Ad duas alias: Cum constet partem conventam deseruisse appellationem ad Rotam interpositam, causa pertractanda erit a Tribunali appellationis V.

24 2. Censemus tamen ex dictis supra (n. 18, non omissio quod procedura pro restitutione praescripta non est observata) satis esse ut H.S.T. in suo decreto, praetermissa quaestione de restitutione quia superflua, solummodo ad duas alias quaestiones seu petitiones respondeat.

Salvo meliori iudicio.

Ignatius GORDON, S.I.

Romae, in P.U.G., 15 aprilis 1972

IURISPRUDENTIA PROT. N. 2695/72 CG